

Qua quidem pecunia integraliter persoluta praedicti Boezlai filii Hermannus scilicet primogenitus pro se et pro Heinrico fratre suo absente sed resignationem pro se factam postmodum ratam habente et Albertus et Otto fratres eorundem Hermanni et Heinrici licet de alia matre praefatos mansos cum universis utilitatibus suis nobis libere resignarunt, Adelheidis quoque mater iam dictorum Alberti et Ottonis ius quod lipgedinge vulgariter dicitur, quod in eisdem mansis habebat, nobis similiter resignavit. Nos itaque praedicti praepositi precibus inclinati saepe dictos duos mansos et dimidium cum suis attinentiis et utilitatibus praenotatis, et unum mansum in eadem villa et pago Kvnawiz situm, quem idem praepositus a Conrado de Ztorckewiz rationabiliter comparavit, nobis ab eodem Conrado libere resignatum ecclesiae beati Thomae apostoli in Lipzk de consensu capituli nostri dedimus. Et quia universitas villae in praenotatis tribus mansis et dimidio consistit, totam villam Kvnawiz ex nunc in ius et proprietatem ecclesiae beati Thomae transferimus in his scriptis. Ad aeternam igitur rei memoriam praesentem paginam conscribi fecimus et tam nostro quam praedicti capituli nostri sigillorum munimine roborari. Datum Mersburg anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LXXVII<sup>o</sup> X<sup>o</sup> Kalend. Decembris, pontificatus nostri anno XII<sup>o</sup>. Huius quoque rei testes sunt Jordanus praepositus dominarum in Lipzk, magister Rudegerus plebanus in Lo, magister Martinus plebanus in Gorsne, Johannes plebanus in Dolzk, Albertus de Valua, Cunradus de Horbure, Kyno de Valua milites, Heinricus de Novo foro, Johannes de Wrzin cives Lipcenses et alii quam plures fide digni.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

### No. 25. 1283.

*Landgraf Albrecht überweist dem von ihm gestifteten Katharinenaltar in der Mariencapelle drei Talente aus der Münze zu Leipzig.*

In nomine domini amen. Nos Albertus dei gratia lantgravius Thuringiae recognoscimus et scriptis praesentibus protestamur, quod nos divino docti monitu in recompensationem negligentiarum nostrarum circa divinum officium construximus altare ad honorem dei et sanctae Katherinae in capella sanctae Mariae virginis in Lipzk iuxta portam, tria talenta in moneta in Lipzk domino Heinrico canonico regulari ecclesiae sancti Thomae in Lipzk pro dote illius altaris de voluntate dilecti fratris nostri Theoderici marchionis de Landesberg tenore praesentium conferentes, eo pacto ut idem dominus H. temporibus vitae suae sine diminutione praebendae suae tribus certis temporibus, hoc est in festo pentecostes unum talentum, in festo Egidii unum talentum, in festo purificationis unum talentum percipiat et ibi cotidie sollempnia peragat divinorum. Post obitum vero ipsius praepositus eiusdem loci unum de dominis suis, quem ad hoc elegerit, ad nos quoad vixerimus, post mortem vero nostram ad successorem nostrum pro collatione destinet dictae summae. Ut igitur haec nostra ordinatio irrevocabilis perseveret, praesentem litteram appensione sigilli nostri fecimus communiri. Acta sunt haec anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LXXXIII<sup>o</sup>. praesen-